

Prudentes ac Circumspecti
Nobis Honorandi!

3662 **I**n Continuationem benignæ Dispositionis Regiæ sub 13tia Martii Anni currentis abhinc expeditæ, Regulamenti illius Illyrici ex clementissima Ordinatione Regia, tanquàm pro stabili, & constanti in occurrentibus causis Privilegialibus, Religiosis, aut Clericalibus Norma deservituri, in Latinum Idioma nunc verli, Typis vulgatum Exemplar Civico huic Magistratui in eum ipsum pariter finem ex benigno Mandato Regio transmittendum esse duxit Consilium hoc Regium Locumtenentiale. De Dato 7mæ Julii, 1777.

4105 **S**iquidem suprema Armorum Cæsareo-Regiorum per Hungariam Præfectura Consilio huic Locumtenentiali Regio insinuaret: Militarem illam pro coëmendis in Regno, signanter autem occasione Nundinarum, Pestini, Jaurini, & Szedini celebrari solitarum suppletoriis Equis ordinatam Commissionem Mensibus Augusto, Septembri, & Octobri sine hõc minimè exituram, Mensibus tamèn Maji, Junii & Julii Anni futuri eorsum omninò profecturam esse.

Hinc id ipsum Civico huic Magistratui pro congrua omnium, quorum interest directione in Continuationem eorum, quæ sub 5ta Septembris Anni præteriti 1776. de benigno Jussu Regio abhinc intimabantur, hisce significandum duxit Consilium hoc Regium Locumtenentiale. Datum ex Consilio Regio Locumtenentiali Hungarico Posonii, Die 28vâ Julii, Anno Domini millesimò septingentesimò septuagesimò septimò celebrato.

J1447-B(3)

